# AVGVSTINI BARBOSÆ, I.V.D. LVSITANI,

## PROTONOTARII APOSTOLICI

*Olim Sacra Congregationis Indicis Conſultoris, & inſignis Eccleſiæ Vimaranenſis Theſaurarij maioris:*

NVNC VERO EPISCOPI VGENTINI, ET A CONSILIIS D. PHILIPPI IV Hiſpaniarum Regis Catholici:

# VOTORVM DECISIVORVM ET CONSVLTIVORVM CANONICORVM,

## TOMVS SECVNDVS.

Cum SVMMARIIS, & triplici INDICE, vno Votorum, altero Iurium quæ explicantur, tertio Rerum & Verborum copioſo.

VLTIMA EDITIO AVCTA ET EMENDATA.

LVGDVNI,
Sumpt. PHILIPPI BORDE, LAVRENTII ARNAVD, PETRI BORDE, ET GVILL. BARBIER.

*M. DC. LXIV.*

CVM PRIVILEGIO REGIS.

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA SALAMANCA

EXCELLENTISSIMO DOMINO

# D. LVDOVICO MENDEZ DE HARO ET GVZMAN, COMITI DE OLIVARES, DVCI DE SAN LVCAR LA MAYOR,

Regi noſtro à Sanctiori Cubiculo, & Principis ( heu quondam noſtri ) Hyparcho, ſeu Equilis ſummo Præfecto.

AVGVSTINVS BARBOSA S. & P. F. E.

CVM ſingulari ſtudio, parique diligentia, EXCELLENTISSIME DOMINE, dubiis ex variis Hiſpaniæ partibus mihi hactenus propoſitis reſpondere, & quamplurimos caſus vltrò, citróque occurſantes diiudicare, non propriæ vtilitatis, ſed publicum iuuandi ſtudio ductus, contenderim, ex illis vota quædam deciſiua & conſultiua in lucem emittere conſtitui, vt in ſimilibus caſibus, & cauſis poſteri ex meo hoc qualicumque labore proficiant. Vno eorum volumine paucis adhinc annis typis à me dato, alterum modò cum ſelectioribus Iuris Canonici interpretationibus in lucem prodit. In aliis meis lucubrationibus componendis, & edendis, quas plurimas plurimorum annorum profeſſio mihi peperit, quanti qualéſve fuerint à me tranſacti labores, quæ ſuſceptæ pro his finiendis vigiliæ, ſtudia, & peregrinationes in Italiam, Galliam & Germaniam, ipſamet opera manifeſta faciunt. Non mediocriter ſanè auget meorum ſtudiorum vires, quòd viderim quanti ſub tali moderatore excitentur animi, robúrque nouum aſſumant generoſiora ingenia, quę inter tot bellorum tumultus miſeræ huius tempeſtatis nonnihil remiſerant. Ratus quòd te gubernante, ſedatis ventorum turbinibus noſtra Hiſpania diu deſiderata pace & tranquillitate conquieſcat,

ã 2 quod

# VOTORVM DECISIVORVM, ET CONSVLTIVORVM CANONICORVM,

## Liber Tertius.

*Toletana Congregationis Sanctiſsimi Sacramenti.*

Monaſteria & Conuentus Fratrum, Monialiúmque, tenentur obſeruare pacta, & conditiones in eorum fundationibus appoſitas, & alibi cum illis initas, & celebratas, & quæ facta fuerint in vim præcedentium inſtrumentorum, non cadunt ſub materia facultatiua: nec Eccleſia in hoc reperitur priuilegiata. Quòd hæc Congregatio eſt Eccleſiaſtica, & eorum Eccleſiaſtico Iudice conuenienda, & interim manutenenda in quaſi poſſeſſione celebrandi feſtiuitates ſui deuoti, & nobilis Inſtituti in aſſignatis diebus, necnon & agendi exercitia Roſarij, orationis mentalis, & diſciplinæ in deputata Aula.

### VOTVM LXXVI.

1 *Venerabilis Eques de Grattis quibus pactis, & conditionibus Monaſterium S. Ioſephi Monialium ſtrictioris recollectionis Seraphici P. Franciſci fundauit, attenditur.*

2 *Quid in ſuo vltimo, quo deceſſit, teſtamento, lauit, & rca hoc ordinauit.*

3 *Congregatio poſt mortem fundatoris quas capitulationes, & conditiones cum Monialibus ſtatuerit.*

4 *Litis inter Congregationem, & Moniales mota cauſa.*

5 *Pactorum, & fidei datæ obſeruantia in ſacris litteris commendata.*

6 *Iuri naturali nihil magis conuenit, quàm pacta & conuentiones ſeruare.*

7 *Conſcientia ius nihil à naturali deuiat.*

8 *Iuſtitia nulla maior eſt, quàm pacta, & conuentiones ſeruare.*

9 *Viro bono non conuenit quod ſemel dixit poſtea reuocare.*

10 *Ferdinandi de Mendozæ verba referuntur.*

11 *Fides eſt fundamentum iuſtitiæ.*

12 *Iniuſtitia eſt non implere fidem datam, & promiſſam.*

13 *Æquitas, & bona fides in contractibus ſeruanda.*

14 *Ratio naturalis omnes comprehendit.*

15 *Eccleſia multo magis quàm alij, iuſtitia, & æquitatis naturalis cultrix eſſe debet.*

16 *Pacta nuda de iure Canonico ſeruantur.*

17 *Obligatus de iure Regio manet quilibet quomodocumque modo ſe obligare voluerit.*

18 *Principes in contractibus obſeruandis tanquam priuati reputantur.*

19 *Maiores quæ nobis ſunt, tanto minus quàm nos deficere debent.*

20 *Pactorum conditiones referuntur.*

21 *Donans poteſt in donatione quam fecit, apponere conditiones, & grauamina ſibi beneviſa.*

22 *Rei ſuæ quilibet liber eſt moderator, & arbiter, dummodo de illa malè non diſponat.*

23 *Conditiones in limine fundationis appoſita magis obligant.*

24 *Fundator in limine fundationis poteſt apponere conditiones ſibi beneviſas, etiam contra ius.*

25 *Contractus ab initio voluntarij, ex poſt facto fiunt neceſſarij.*

26 *Pœnitentiæ locus non eſt in contractibus tam nominatis, quàm innominatis, poſtquam res deſijt eſſe integra.*

27 *Ius per pactum parti acquiſitum ei ſine facto illius auferri non poteſt.*

28 *Priuilegium ex gratia alicui conceſſa non poteſt in alterius damnum, & præiudicium redundare.*

29 *Agens ex contractu debet priùs adimplere pro ſua parte.*

30 *Contractum adimplere recuſans, tenetur pati reſciſſionem illius, & reſtituere quod recepit.*

31 *Contractus eſt vltro citroque obligatorius.*

32 *Contractus aut in totum approbandus, vel reprobandus eſt.*

33 *Pactum quis ratificare non poteſt, & non ratificare eius qualitatem.*



34 Con